Na: Diei unius sumus, somnium sumus, unde non sine judicio Pindarus homines ἐπαμέριους vocat, respiciens forte ad Ephemeron herbam, quae eo ipso die quo crevit, iterum decrescit. Alludit eo et Pollidorus ap: Plautum, cum sic conqueritur.

Tanquam Solstitialis herba paulisper fui,
Repente exortus sum repentino occidi.

Respicit et Pindarus ad ἐφήμερον animalculum, quod à Plinio ἡμερόβιον dr. De eo Aristoteles in hist: animal: sic scribit: Fluvius Hypanis in Scythia prope Cimmericum Angiportum, aestivo tempore vesiculas aut siliquas ad ripam profert, adinstar uvae alicujus, ex quibus parva animalcula serpunt, quae in meridiem usque volatu suo circumvagantur et vivunt, quamprimum vero Sol incipit occidere, cum Solis occasu, una quasi pereunt et occidunt. Tam brevis et homo est vitae. Nam n. nascentes morimur, finisque ab origine pendet. Prodeat è memoria heic mihi in linguam Pythagoras, Italiae splendor clarissimus, et interrogatus, quid homo sit, respondeat: Respondeat, quid vita hominis! Sed video eum per fores ab una parte ingredientem, perque atrium transeundo ab altera parte mox egredientem, nec amplius comparentem; Demonstrat utique hoc facto nostrum in rebus inane, et vitam Pompam esse, in qua singula quaeque ostendantur, non possideantur, et, cum placent, pereant. Possem huc trahere absoletas consuetudines et ritus veterum, nominatim Atheniensium, quippe quibus moris erat, non Solis tantum, sed Horis pompam quotannis ducere, in qua carnes non assatas, sed elixas et jurulentas, in sacrificium, Authore Athenaeo, offerebant, forsan ut lubricae et fugacis vitae, se ipsos admonerent, sed mittam talia et alia, quibus vitae humanae fugacitatem demonstrare haut dubitarunt Veteres, neque ad meum munus pensumque revocans, ad aliud comparationis argumentum transibo. Personarum Discrimen in Theatro videre licet: Verum n. vero, Hic Regis, ille Principis, iste Comitis, Baronis, Nobilis Patricii, Subditi, Civis, Rustici agit partes, unus serio agentis et loquentis, alius ludicram agitat fabulam; Fabula v. peracta, cum vestimentis Personarum Qualitas exuitur, inque pristinam conditionem quilibet redit. Sic, sic et in humanae proscenio vitae insigne est personarum discrimen, quod tamen omne mors tollit, ad eundem cinerem corpora redigens. Nam, sicut è mari orta in mare remeant: ita è terra in terram, quae communis omnium mater est, omnis homo revertitur, et quidem sine ullo discrimine, sine ullo ordine: Nemini lethi fuga, inquit Horatius. Nihil heic obstat infantia; nam et Davidis Regis Adulterinus mortuus est; Nihil juventus: nam et Eutychus mortuus est; Nihil senectus: nam et Mathusalem centesimo nono et sexagesimo aetatis anno mortuus; Nihil heic Regis valet titulus: nam et ipse David mortuus est; Nihil juvat Pietas; nam et Abel, cujus opera justa erant mortuus est; Nihil scientia, eruditio ac sapientia; nam et Salomon, omnium mortalium sapientissimus mortuus est; Nihil auri, argenti et divitiarum abundantia: nam et Lucro ille ditissimus ap: Evangelistam mortuus est; mortuus est Craesus Rex omnium ditissimus; Nihil robur valet corporis adversus vim mortis: nam et Simson omnium robustissimus mortuus est; Nihil agilitas corporis praestat: nam et Asahel, omnium agillimus, mortuus est;